

T9

Tebaide XI, 497-579

Il duello fra Eteocle e Polinice

Tunc vero accensae stimulis maioribus irae:
 arma placent, versaeque volunt spectare cohortes.
 Instaurant crudele nefas; rex impius aptat
500 tela et funestae casum prior occupat hastae.
 Illa viam medium clipei conata per orbem
 non perfert ictus atque alto vincitur auro.
 Tunc exul subit et clare funesta precatur:
 "Di, quos effosso non inritus ore rogavit
505 Oedipodes flammare nefas, non improba posco
 vota: piabo manus et eodem pectora ferro
 rescindam, dum me moriens hic sceptra tenentem
 linquat et hunc secum portet minor umbra dolorem".
 Hasta subit velox equitis femur inter equique
510 ilia, letum utriusque volens; sed plaga sedentis
 laxato vitata genu, tamen inrita voti
 cuspis in obliquis invenit vulnera costis.
 It praeceps sonipes strictae contemptor habenae
 arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.
515 Exultat fratri credens hunc ille cruorem,
 credit et ipse metu; totis iamque exul habenis
 indulget, caecusque avidos inlidit in aegrum
 cornipedem cursus. Miscentur frena manusque
 telaque, et ad terram turbatis gressibus ambo
520 praecipitant. Ut nocte rates, quas nubilus Auster
 implicuit, frangunt tonsas mutantque rudentes,
 luctataeque diu tenebris hiemique sibique,
 sicut erant, imo pariter sedere profundo:
 haec pugnae facies. Coeunt sine more, sine arte,
525 tantum animis iraque, atque ignescentia cernunt
 per galeas odia et vultus rimantur acerbo
 lumine: nil adeo mediae telluris, et enses
 impliciti innexaeque manus, alternaque saevi
 murmura ceu lituos rapiunt aut signa tubarum.
530 Fulmineos veluti praeceps cum comminus egit
 ira sues strictisque erexit tergora saetis:
 igne fremunt oculi, lunataque dentibus uncis
 ora sonant; spectat pugnas de rupe propinquaque
 venator pallens canibusque silentia suadet:
535 sic avidi incurunt; neandum letalia miscent
 vulnera, sed coepitus sanguis, facinusque peractum est.
 Nec iam opus est Furiis; tantum mirantur et astant
 laudantes, hominumque dolent plus posse furores.
 Fratri uterque furens cupit adfectatque cruentem
540 et nescit manare suum; tandem inruit exul,

hortatusque manum, cui fortior ira nefasque
 iustius, alte ensem germani in corpore pressit,
 qua male iam plumis imus tegit inguina thorax.
 Ille dolens nondum, sed ferri frigore primo
545 territus, in clipeum turbatos colligit artus;
 mox intellecto magis ac magis aeger anhelat
 vulnere. Nec parcit cedenti atque increpat hostis:
 “Quo retrahis, germane, gradus? Hoc languida somno,
 hoc regnis effeta quies, hoc longa sub umbra
550 imperia! Exilio rebusque exercita egenis
 membra vides; disce arma pati nec fidere laetis”.
 Sic pugnant miseri; restabat lassa nefando
 vita duci summusque crux, poterantque parumper
 stare gradus; sed sponte ruit fraudemque supremam
555 in media iam morte parat. Clamore Cithaeron
 erigitur, fraterque ratus viciisse levavit
 ad caelum palmas: “Bene habet! Non irrita vovi,
 cerno graves oculos atque ora natantia leto.
 Huc aliquis propere sceptrum atque insigne comarum,
560 dum videt”. Haec dicens gressus admovit et arma,
 ceu templis decus et patriae latus ovanti,
 arma etiam spoliare cupit; nondum ille peractis
 manibus ultrices animam servabat in iras.
 Utque superstantem pronumque in pectora sensit,
565 erigit occulte ferrum vitaeque labantis
 reliquias tenues odio supplevit, et ensem
 iam laetus fati fraterno in corde reliquit.
 Ille autem: “Vivisne an adhuc manet ira superstes,
 perfide, nec sedes umquam meriture quietas?
570 Huc mecum ad manes! Illic quoque pacta reposcam,
 si modo Agenorei stat Gnosia iudicis urna,
 qua reges punire datur”. Nec plura locutus
 concidit et totis fratrem gravis obruit armis.
 Ite truces animae funestaque Tartara leto
575 polluite et cunctas Erebi consumite poenas!
 Vosque malis hominum, Stygiae, iam parcite, divae:
 omnibus in terris scelus hoc omniisque sub aevo
 viderit una dies, monstrumque infame futuris
 excidat, et soli memorent haec proelia reges.